

nere. Accepi varia ex Hispaniâ quæ scripserat in Americâ.

Precor immensè, mittas mihi Pathologiam ; tu mihi unicus author, quidquid alii contrariantur ; sed ignari nostrates..... sed homines rudes nesciunt quid sit methodus. Tu unicus es mortalium, qui viam aperuisti ; negant eam ingredi cœcæ talpæ.

Vidi Adansonii priorem tomum ; continet pulchra Conchilia ; multa putat nova , quæ non sunt.

Quæso, dicas mihi quo die succubuerat Anton. Jussieu. Novi quod erat mense Maïo , at diem non novi.\*

B. Jussieu sibi sapit , nec aliis ; parùm mihi quidquid dicat.

Inclusa erat epistolæ, altera, *Chenopodium polyspermum*, altera, cuius folium misisti, *Urena lobata*; si propriùs adspicias, videbis eam habere calycem exteriorem ; habeo ego eamdem , et per plures annos habui, et hoc tempore floret in hybernaculo, nec unquam vidi sinè calyce exteriore ; quod confidentius assero esse eamdem , evincunt pori tres melliferi à tergo omnium folio-

---

\* 22 avril 1758.